DE

TYPHO ABDOMINALI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVI. M. AUGUSTI A. MDCCCXLV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ARMINIUS BODENSTEIN

POMERANUS.

OPPONENTIBUS:

C. STEPHAN, med. et chir. Dr.
A. MARGGRAFF, med. et chir. Dr.
J. SCHMIDT, med. et chir. Dd.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

EXCELLENTISSIMO, GENEROSISSIMO, HUMANISSIMO,

UHDEN,

REGIS IN REBUS JUDICIALIBUS MINISTRO SUPREMO SUMMORUM ORDINUM EQUITI ETC.

AC

VIRO

SUMME VENERABILI, ORNATISSIMO,
HUMANISSIMO,

G. H. BERNSÉE

VERBI DIVINI MAGISTRO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Typhus abdominalis, quum saepissime occurrat et in hominum vitam horribili modo grassetur, jure omnium omni tempore medicorum oculos atque animos in se convertit. Antiqui jam eum perscrutati sunt et cognoscere studuerunt; morbum autem illum febrem typhosam, pestilentialis, putridae, malignae febris nomine nuncupabant, et pestilentialem quidem dicebant, quod, ut memoriae erat proditum, orientalis pestis esset cognata; malignam vero et putridam propter tristem, qui saepissime letifer esset, exitum.

Ex his jam apparet, antiquitatis medicos de hoc morbo ita ferme cogitasse et judicasse, ut nostrates. Ea denique, quae hoc recentiori tempore ei subdita sunt nomina, ut febris nervosa (Willis), exanthema intestinale (Andral), febris entero-mesenterica (Petit et Serres), dothienteritis (Bretonneau), ileo-iliditis (Bally), febris nervosa stupida (D. Frank), tam diversas tamque

perversas de eo sententias et tantos errores suo cumulo genuerunt, ut nonnulli vel eo progressi sint, ut quemvis, qui torpidam speciem prae se ferat, morbum typhum nominent. Sed ad hujus morbi notionem accuratius definiendam praemittenda sunt nonnulla de quibusdam, quae in organismo hac affectione provocantur, mutationibus.

I. SANGUIS.

In processu typhoso certa quadam ratione mutatur sanguis et quae in eo reperiuntur mutationes ab his, quae in aliis morbis obveniunt, satis sunt diversae ideoque dignae, quas diligentius inspiciamus. Motus sanguinis arteriosi magnopere est acceleratus, nec vero, ut in inflammationibus fit, nova vasa gignuntur; venae autem omnem hunc sanguinem reducere non possunt, unde fit hyperaemia et congestio in organismo aegroto. Albumen deminuitur et in acumine morbi dimidio est comminutum. Fibrinae quantitas etiam imminuitur, illa globulorum augetur. In decursu morbi partes fluidae maxime praevalent, atque eo quidem modo, quo solidae decrescunt: fibrina rursus comparata cum partibus solidis ac residuo seri minor fit, id quod inde praecipue oriri potest, quia et vi vitali perturbata formatio fibrinae normaliter evenire non potest, et verisimiliter aliquid fibrinae solutum et putrefactum in sero invenitur. Simulac autem aegri ex morbo recreantur, incrementum fibrinae globulorum quantitate decrescente existit. Placenta sanguinea facile

diruitur atque est mollis et parva, si cum sero comparatur. Discessio in cruorem et serum non celeriter procedit, nam minor aut imperfecta alcalescentia praevalente liquidarum partium quantitate cum inclinatione sanguinis coagulationem retardat. Sanguis minore cum vi e venis effluit, et si per longius tempus stat, in fundo vitri rubros globulos aut haematinum in parietibus invenimus; quod demonstrat, colorem vasorum, praecipue magnorum et cordis, rubrum ex inflammatione, ut saepe contenditur, non prodire, sed solutione haematini et retardata sanguinis circulatione nasci.

Ex his multa derivare licet, quae omnia ad sanguinem commutatum reducenda sunt. Quoniam enim sanguis iis, qua coalescant partibus caret, et admodum tenuis atque dissolutus fit, facile fiunt exsudationes in telam cellulosam subcutaneam, quo petechiae et decubitus in morbi decursu efficiuntur. Adeo proprium illud pigmentum typhosum, quo dentes, labia, lingua obducta sunt, sanguine exsudato paratur, nam inspectionibus microscopicis cognitum est, globulos sanguineos iis inesse.

II. SYSTEMA NERVORUM.

Saepe sectione nervorum materiem mutatam esse cognoscimus, quod quidem non semper fit. In viventibus hae mutationes symptomata nervosa gignunt, quae diversam speciem produnt. Turbationes existunt in functionibus, quae initio irritationis speciem, non multo post autem depressionis signa praebent, veluti vigilia et, si

aegroti dormire volunt, somnia horribilia, serius deliria, strepitus aurium, anaesthesia optica, ex qua interdum amaurosis fit. In organis deglutitionis varii spasmi comparent, qui ipsi ad hydrophobiam usque crescere possunt. Quum in febri typhosa cerebrum offerat tam magnas perturbationes, facile credi possit, hoc organon maxime esse mutatum; id autem non ita se habet. Tantum velamenta partium centralium sanguine magis impleta et rubefacta sunt; ganglia autem tumescunt, nec molliora, sed duriora potius fiunt, potissimum plexus solaris in typho abdominali.

III. URINA.

Si jam natura ipsius urinae, quae reactione et colore secundum morbi stadia, praesertim typhi abdominalis, multas ostendit varietates, ita quidem, ut urina, quae in primo stadio acida erat, tum calica fiat et denique in revalescentia iterum per reactionem acidam ad physiologicam qualitatem reducatur, magni momenti est ad prognosin, idem multo magis valet de sedimentis, quae in diversis morbi stadiis obvia sunt. Sic primum videmus, quando stadium gastricum typhi abdominalis in nervosum transit, quod die septimo morbi plerumque fieri solet, urinam turbatam et sedimentis fere criticis praeditam, quae plerumque composita salibus uricis, minime permutanda sunt cum sedimentis istis, quae in formis typhi abdominalis abortivis ita dictis apparent. Maxime autem sedimenta recte sunt cognoscenda, quae in stadio morbi

critico exstant, plerumque die decimo septimo. Sedimentum criticum habere licet, si urina ipsa, in qua praecipitatum est, paulatim lucida fit et calica est reactione; sedimentum hoc in casu quasi flocculentum et mucosum est, salibus phosphoricis, ammonio urico et pituita compositum. Etiam in stadio convalescentiae urina semper accurate observanda est, quippe quum morbi resolutio nunquam completa haberi possit, antequam urina crisibus peractis naturam physiologicam iterum offerat.

IV. EXCRETIONES PER RECTUM.

Excretiones vario modo mutatae sunt, et multa ad cognoscendum morbum signa afferunt. In initio typhi solidae vel durae faeces plerumque excernuntur. In secundo autem stadio in duas partes separantur: fundum vitri laciniae et flocculi petunt, quibus liquor raro pigmento sordide coloratus, serosus superest. Quae excrementa microscopio accuratius explorata stratum superius puris et muci corpuscula, filamentis juncta ostendunt; praeterea magnam quantitatem crystallorum, qui secundum F. Simon ex acido phosphorico cum magnesia atque ammonio constant. Stratum vero inferius constat praeter epithelium membranae mucosae ex magna supra dictorum crystallorum copia, materia lutea et corporibus typhosis, faecibus propriis, rotundis vel lenticulatis, fuscis aut luteis, quae pressu in multas particulas concentricas dilabuntur.

In morbo ipso describendo haec quatuor discernun-

tur stadia: stadium prodromorum, stadium erethicum, stadium nervosum, stadium criticum.

Stadium prodromorum.

Non eodem semper modo febris typhosa oritur, neque semper hoc stadium adest, sed vel minores, vel majores nutritionis perturbationes antecedere solent. Tum facies mutari solet, aegrotus de defatigatione, angore et inquiete conqueritur, animo est depresso et tristi, cogitata convolvit, sensus ejus obumbratus est, fit inquietus, de doloribus rapientibus membrorum queritur et morbum gravem ineuntem quasi praesagit, una appetitus ei deminuitur, gustus fit amarus, siti semper augescente.

Haec febris typhosae indicia esse solent, quae quidem non hujus solum morbi processui conveniunt, sed aliorum quoque, ut exanthematis, ut et diagnosis et curatio maxime sit dubia hoc in stadio. Nec minus incertum est hujus stadii spatium, quod ad curationem permultum attinet, morbus enim ipse ab eo inde momento ponitur, quo indicia magis sunt conspicua, id est, a primo frigoris impetu, quem aestas permanens sequitur. Typhus nempe certum habet decursum, et spatium quidem septem, sed etiam quatuordecim, vel viginti et unius, vel etiam viginti octo dierum; dies critici periodum septem dierum finire solent.

Stadium erethicum.

In omnibus fere casibus hoc stadium incipit vehementi capitis dolore ab occipite ad frontem procedente,

et magna virium prostratione; accedunt stupor, diarrhoea et meteorismus cum aucta sensibilitate abdominis, praesertim in regione iliaca dextra. Aegrotus in dorso jacet, facies omnino nullam prae se fert cogitationis speciem, et tum tantum aegrotus respondet, si quis vivo et alacri sermone eum alloquitur; nunquam fere existunt deliria, etsi continens agrypnia raro tantum somno interrumpatur, qui per breve solum tempus obtinet, graviaque phantasmata secum fert, quae aeger memoria tenens cum veris confundere videtur. Lingua humida est, sed valde obtecta, quod tegumentum plerumque magis versus centrum sese contrahit: sapor fit vapidus, humiditas oris aliquantum minuitur, et sub finem hujus stadii magis magisque cedit. Aegrotus saepe de doloribus faucium et dysphagia conqueritur, sitis est magna, imprimis potus aciduli et aqua frigida appetuntur. Abdomen initio molle, affirmante aegroto non dolet, si autem accuratius perscrutaris, jam in hoc periodo modo hic, modo illic auctam invenis sensibilitatem. Plerumque meteorismus adest, etsi minori gradu et percussione tantum demonstrandus; aucta parietum abdominis temperies non animadvertitur. Alvus in casibus rarissimis obstructa, imo in plerisque diarrhoea adest. Urina rara secernitur, saturatior quam statu normali, et semper aliquid turbidi habens. Secretio cutis vario modo alienata est; in plethoricis plerumque hominibus cutis ardet et secretio suppressa est, in aliis modici, aliis profusi sudores oriuntur, et quidem magis in superioribus corporis partibus quam in inferio-

ribus. In multis casibus ineunte morbo rhonchus sibilans in utroque pectoris latere percipitur, qui in inferioribus partibus clarius auditur quam in superioribus, et saepe totum pectus occupat. Ad haec symptomata febris accedit vehemens; pulsus est parvus, durus, frequens, circiter centum vel centum decem ictuum. Secundum Chomel sub finem hujus stadii proprium exanthema typhosum oritur, quod ex parvis roseis maculis consistit, vix supra cutem eminentibus et hic et illic in ventre et pectore dispersis, raro tamen in extremitatibus observatis.

Stadium nervosum.

Sexto vel septimo post exortum morbum die, raro tantum ante vel post hoc tempus, morbus speciem omnino excultam exhibet, atque haec indicia praebet, quae potissimum ad systema nervorum pertinent: vires aegroti paulatim magis magisque prosternuntur, ita ut vix corpus movere possit, quietus in dorso jaceat, et plerumque in hunc situm recidat, si in alium redigere eum tentaveris. Non raro magna debilitas musculorum et pharyngis et organorum excretioni addictorum exstat, quo fit, ut saepissime sedes involuntariae aegroto inscio oriantur; interdum aegrotus id quidem sentit, sed retinendi vis deest; interdum ischuria intrat, ad quam medicus imprimis animum advertere debet, necesse enim est, urinam emitti, simulac repleta vesica tactu percipi potest. Ubi virium prostratio ad majorem gradum evehitur, subsultus tendinum in brachiis et pedibus apparent. Cerebri

functiones graviter laborant et aeger in magnam incidit somnolentiam, ex qua difficulter et per pauca tantum temporis momenta excitari potest; stupor perfectus adest, et coma somnolentum saepe per plures dies perseverat, ita ut, si stupor semper augeatur, hoc imminentis mortis indicium sit. Aliquando etiam deliria, quin imo furibunda adsunt; reliqui quoque sensus laborant, saepissime sapor magnopere alienatus, oculi splendore privati sunt. Pulsus frequentia in hoc stadio maxime augetur, ita ut centum et vigenti ictus superet, fit parvus, debilis, tremulus, interdum intermittens. Exacerbatïones vespertinae, quae superioribus diebus luculenter observari poterant, jam fiunt obscuriores et ex typo remitttente typus continuus continens fit. Calor cutis mordax, cutis ipsa aridior, sitis vehementior, totum cavum oris, labia et lingua arida et fusco, vel nigricante et splendente muco obtecta; cum diarrhoeis haemorrhagiae intestinales incidere possunt, quae partim modicae, partim tam vehementes sunt, ut mortem adducant. Meteorismus saepe vehementissimus fit, dolor abdominis plerumque in malignis casibus non exstat, urina prorsus obscura. Praeterea in hoc stadio cutis maxime vergit ad ulcerationes et quidem in locis, ubi vix putes, ut in interno crurum latere, decubitus autem frequenter exoritur. Septimo die tum crisis indicari solet, ita ut vulgo febris intensitas in periodo secunda imminuatur.

Stadium criticum.

Ex iis, quae in hoc morbi stadio apparent, cogno-

scitur, num morbi eventus bonus, an malus futurus sit. Si bonus est eventus, symptomatum impetus minuitur; aegrotus respondet interrogantibus, sopor abit in tranquillum somnum, ex quo plane conscius expergiscitur aeger; interna oris superficies et lingua humidae redduntur, meteorismus minuitur, excrementa colore magis flavo et meliore consistentia praedita apparent, pulsus minus frequens et plenior fit, et si in tertio stadio exilior fuit, magis magisque ad normalem numerum accedit; nonnunquam sudor levis exoritur et cutis mollitie quadam impertitur, qua antea carebat, vultus aegroti magis compositus, quae sentiuntur, plane exprimit. Nonnulli sudorem et urinam criticam se observasse contendunt. Sudor criticus semper super totum corpus est diffusus, non nimis copiosus, et nonnullas horas perdurare debet. Urina critica, quae in stadio acmes turbida et acida erat, eo cognoscitur, quod nunc neutraliter se habet, copiosissima, aquosa, flavescens, et subturbida existit, sedimenta format, in quibus nec urea nec salia urica insint, sed potius acidum phosphoricum cum ammonio conjunctum. Praeter has duas crises, alia, quae dicitur crisis nervorum cernitur et somno quidem, qui primum nonnullas tantum horas, postea vero diutius durat. Pro certissimo convalescentiae signo ciborum appetentia et faeces normales habendae sunt, sed certi dies critici nequeunt constitui. Convalescentia plerumque lentissime procedit, et medico diligentissime ei prospiciendum est, quia aegrotus fere

nunquam satiandus est. itaque facile rursus gastritis provocatur.

Hic felicissimus est exitus: inveniuntur autem passim residua typhosa, quorum est unum decubitus. Videtur specifica haec commutatio non solum in his partibus, quibus aegroti cubant, sed etiam in naribus et palpebris, ubi magnae ecchymoses formantur. In telam cellulosam subcutaneam effunditur major aut minor sanguinis copia; paene semper circum extravasatum inflammatio, quae colorem habet lividum, fit. Si non multum sanguinis effusum est, resorberi potest, at saepissime haec pars detruditur, qua conditione ulcus restat, quod granulatione sanatur. Fieri quidem potest, ut ex ea inflammatione gangraena nosocomialis magna cum vastatione evadat, qua re vita reconvalescentis ex morbo gravi denuo in periculum venit. Altera autem forma residuorum est inflammatio parotidum. Normali decursu tumor brevi tempore major fit: viginti quatuor horis post tumor durus, solidus, valde irritabilis, cutis livida est. Quam celeriter tumor ortus est, tam celeriter resolvi potest, quae quidem resolutio differt a regressu, qui, ut experientia docuit, gravibus nervorum irritationibus conjunctus est. Alter exitus est suppuratio, in qua pus pessimum est, adducta adhuc existente sanguinis dyscrasia: pus vicina organa diruit, in partes inferiores sese demergit et deletione carotidis mortem afferre potest. His nervorum functiones saepe turbantur, qua conditione primum turbationes in

organo centrali proferri possunt, ita ut memoria saepe quasi obumbrata fiat, quin etiam plena stupiditas existere possit. Sed frequentiores sunt turbationes organorum sensuum, inter quas praecipue anaesthesia optica vel acustica. Denique revalescentes, quum morbus in alium transeat, in periculo versantur. Non raro ex typho ulceribus formatis paulatim phthisis abdominalis, aut intestinorum perforationes nascuntur, quibus efficitur, ut faeces in saccum peritonei evadant, et peritonitis vehemens morsque subita adducatur. Idem fit haemorrhagiis, ubi ulceribus, quae exstiterunt, majora vasa diruuntur, itaque lethalia sanguinis profluvia efficiuntur.

Sin vero processus typhosus morte finitur, symptomata modo nominata multo crescunt: tela mucosa oris et lingua sensim siccior redditur; item cutis, quae tamen sudoribus viscosis saepe obducta reperitur; stupor summum fastigium assequitur, respiratio fit difficilior atque stertens, in pulmonibus crepitatio animadvertitur, plerumque exspirationes celeriores sunt, et inspirationes anxias alarum nasi motus fortiores comitantur, totum corpus celeri macie conficitur, vultus rigidus et facies Hippocratica apparent, vox tremit et supprimitur; aegrotus penitus sine conscientia est, respondere non potest, murmurat tantum voces, quae comprehendi non possunt, inter dentes. Pulsus parvus, filiformis, innumerabilis; debilitas ad extremum pervenit, aegrotus in lethargiam incidit, quam brevi post mors sequitur.

SECTIO.

Ex cunctis mutationibus, quas sectio monstrat et quae semper inveniuntur, primae sunt eae, quae videntur in intestinorum membrana mucosa: omnia alia, quaecunque sint, his postponenda, commutationibus fortuitis adnumeranda sunt. In intestinorum membrana mucosa observata ulcera id effecerunt, ut multi crederent, typhum abdominalem idem esse, quod intestinorum inflammationem, praecipue inflammationem glandularum Peyerianarum: at hoc falsum esse jam ex eo apparet, quod inter morborum decursum maxima intercedit varietas. Causa harum commutationum in functionibus intestinorum est certus morbi processus, non inflammatorius ille quidem, sed exanthematicus. Exanthema sedem habet in inferiore dimidio intestinorum tenuium, non facile per valvulam Bauhini in intestinum coecum transit, et numerosior fit, quo magis inferiori parti intestini tenuis appropinquat. Degenerationes in glandulis Brunnerianis imprimis coni formam habent, cujus apex in glandulis, quae intestino tenui insident; Peyerianarum vero glandularum immutationes in planitiem magis porrectae sunt, ceterum prius quoque degenerant quam alterae, quare, aegroto ante diem septimum defuncto, in his saepissime nulla est fere mutatio. Si morbus ad sanitatem redit, ulcus cicatrice obducitur, contrario vero casu longius sese extendit, ita ut compluria horum ulcerum conjungantur,

quo phthisis intestinorum provocatur. Uti glandulae tubi intestinalis, item glandulae quoque lymphaticae inter mesenterii lamellas sitae frequenter morbo afficiuntur, et mirum in modum mutantur, opaco tinctae colore, maxime amplificatae, partim mollescunt, ita ut digitis conteri possint, partim indurescunt, ut non sine labore comprimantur. Hoc modo fit ulceratio in glandulis Peyerianis et Brunnerianis. Non raro iis in locis, quos illa non adgressa est, partes rubrae et inflammatae in intestino reperiuntur, cujus rei ratio nondum satis illustrata est.

Exceptis istis, quas modo commemoravimus, mutationibus, interdum aliae complicationes inveniuntur. Pulmones hepatisatione, malacia, pneumonia lobulari destructi, tunica intima inde á bifurcatione tracheae usque ad bronchia rubore tincta cernebantur. Cor pallidum, emollitum et tunica intima ejus majorumque arteriarum rubro nigrescens, vel rubro fusca, vel inflammata reperiebatur. Cerebrum plerumque nullas offert mutationes, interdum tamen sinus venosi sanguine turgentes videbantur, adeo etiam, ut sanguis e vasis in telam ipsam cerebri ingrederetur. Commutationes, quas in gangliorum systemate observamus, hae sunt: glanglia mole aucta sunt et tumida, praecipue plexus solaris sanguine superfluens et valde rubefactus, porro ganglia duriora sunt, cartilagini similia, coloris non grisei, qui est normalis, sed magis albi.

DIAGNOSIS.

Diagnosis morbi typhosi non tam facilis est dictu quam concludi possit ex symptomatibus; quin etiam exempla sunt, ubi doctissimi medici erraverint. Si quidem morbus cum febri magis vel minus vehementi, inflammatione quadam non provocata, subito irrumpit cum capitis doloribus, confitemur, multos morbos esse, eadem prae se ferentes symptomata, praesertim quum in nonnullis casibus affectio localis tam levis et exigui momenti sit, ut nec dolor, nec tensio, nec calor regionis iliacae dextrae sentiatur. Morbi, qui suspicionem typhi abdominalis movere possunt, sunt hi: febris gastrica in stadio prodromorum, quam pro typho habentes etiam confirmantur in errore linguae tegumento; absunt autem in febri gastrica illa deliria blanda, stupor, magna inquietudo, et anxietas, quam aegrotus sentit. Elapsis aliquot diebus, uterque morbus vix confundi potest. Typhus etiam cum enteritide mucosa mutari potest; at enteritis nunquam tam subito existit quam typhus, indicia febrilia minus exculta neque tam permanentia sunt: alvi evacuationes sunt frequentiores, magis dolorosae, tum prostratio virium nequaquam tam manifesta est, denique symptomata nervosa desunt. Encephalitis multo graviora inflammationis symptomata prae se fert quam morbus noster. Ab exordio deliria furibunda, caput ardens, facies rubra, turgida, oculi splendentes, pulsus fortis, durus, frequens apparent;

dolor autem regionis iliacae dextrae, stupor, diarrhoea desunt. A phthisi intestinali differt morbus et excrementis, quibus inest pus, et doloribus, qui sunt in intestinis multo vehementiores: tum typho deest febris hectica, quae nocturno colliquativo sudore conjuncta in phthisi est; denique absunt symptomata nervosa.

MOMENTA AETIOLOGICA.

Quae proxima typhi causa sit, certo dicere non possumus. Nonnulla quidem non ignoramus, quorum auxilio febris typhosa maxime oritur, sed vera causa nostras meditationes fugit. Morbi solum vitae humanae flos, tempus, quo systema nervorum maxime excultum est, videtur esse. Morbi igitur cyclus cum pubertate inchoatur et evolutione finitur. Apud infantes et aetate provectiores typhus rarior, apud senes nunquam invenitur. Sunt medici, qui opinentur, typhum nihil aliud esse quam inflammationem, quo contendunt, tantum iis causis opus esse, quibus alias inflammatio producatur. Alii sunt, qui arbitrentur, momenta, quibus exanthemata acuta producantur, pariter typhum gignere, cum ulcera in intestinis formata exanthema habeant. Denique ab aliis causa quaedam morbi efficiens propria supponitur, quippe contagio producti, quamquam vero hoc rebus multis nititur, tamen causa non potest haberi unica, praesertim quum quaestiones de contagiis institutae adhuc tenebris implicitae sint. Causis autem praedisponentibus adnumeratur

praecipue adolescentia. nec minus genus valet, saepius enim apud viros quam apud feminas invenitur. Turbationes gangliorum abdominalium augent aegroti sensibilitatem, exempli gratia momenta psychica, affectus deprimentes, timor, cura, moeror, pavor. Historia docet, semper in exercitibus fugatis, in quibus summa erat desperatio, typhum primum esse ortum. Porro huc spectant magni animi labores, nimium litterarum studium, exhaustum musculorum systema, nimia organorum genitalium irritatio per abusum coitus et onaniae; hic tantum causa efficiente opus est, ut typhus irrumpat, exempli gratia levis refrigeratio, quae alias fortasse tantum affectionem catarrhalem provocaverit.

PROGNOSIS.

Typhus merito in periculosissimis morbis numeratur; strages, quam facit, non multo minor est, quam quae peste orientali editur, nam quod ad numerum hominum, qui typho afficiuntur, attinet, nullus alius est morbus, quo tot homines consumantur, jure scilicet contendi potest, tertiam aegrotorum partem mori. Prognosis autem praecipue e symptomatibus pendet abdominalibus, quo quidem vehementiora haec sunt, eo pejor etiam prognosis. Initio morbi interdum contigit, ut utili curandi methodo vim morbi frangas aut in decursu lenias, quum remotis omnibus rebus noxiis complicationes valde adversas et irregularem decursum tollere studeas. Ubi au-

tem sedes involuntariae eveniunt, praesertim sanguine tinctae, quibus aegroti debilitas magnopere augetur, grave sunt et malum indicium. Aetas magni momenti est; quo juniores et validiores aegroti, tanto melior est prognosis; apud homines debiles et jam antea exhaustos saepissime mala erit. Tum dependet de intensitate symptomatum nervorum; in his primum habet locum subsultus tendinum, quia tantum in periculosissimis casibus se manifestare solet: quando quidem hi motus tantum temporarii sunt, prognosis non semper necessario pessima est, sin vero sine intermissione permanentes totum corpus tenent, exigua modo est spes felicis morbi exitus. Tum deliria permanentia, imo furibunda mortem secuturam produnt, praecipue quum jam in primis diebus appareant, nam aegrotorum vires exhauriuntur, qui postremo in coma incidunt, quo non expergiscuntur. Pulsus frequentissimus, centies et tricies vel sexagies micans, omnibus aliis signis eadem vi perdurantibus, mortem testatur proxime imminere. Dein prognosis pendet e divitiis aegroti, etenim morbus apud homines pauperes perniciosior est, sicut in praxi privata, in qua aegrotus non tanta diligentia curari potest, quanta in hospitiis. Infaustissima praeterea est prognosis, quando etiam organa respirationis laborant: in respiratione stertorosa et difficili nulla est spes, quia aegroti moriuntur, quippe vim non habentes mucum in bronchis cumulatum ejiciendi, aut, quod saepissime fit, paralysis pulmonum existit.

Complicatio cum aliorum organorum inflammationibus magnum affert periculum, enterobrosis et phthisis intestinalis, morbum secutae, certam et inevitabilem mortem nuntiant.

CURATIO.

Therapia febris typhosae difficillima est, et de nullo morbo sententiae ita differunt, quam de hoc. Summa causa, quae hunc morbi processum umbra velat, est decursus ipse morbi, modificationes, quas per totum decursum praebet, et denique dubium, in quo medicus per totum morbum versatur. Veteres medici putridam sanguinis qualitatem in hoc morbo magni momenti esse rati remedia, quae in antisepticis numerantur, aptissimam morbi therapiam habebant, quod maximam partem probari potest, nam usus aquae oxymuriaticae nihil aliud spectat. Erat autem vitium, quod alia symptomata despicientes, antisepticis solis morbum depellere volebant. Alii medici putabant, morbum laxantibus sanandum esse, qua de causa aegrotis laxantia dabant, quibus vires jam valde exhaustae magis magisque detrahebantur: nullo quidem pacto negari potest, laxantia in multis casibus ipso initio morbi sine ullo periculo adhiberi posse, et saepe quidem felicissime, et metus, quo multi ab usu eorum deterrentur, est nimius; sed periodo, qua ulcera in intestino existere solent, accedente, ab omnibus remediis therapeuticis abstinendum est, quae acceleratione

motuum peristalticorum in intestinis rupturam in loco, quo ulcus est, evocare possunt. Sunt medici, qui morbum inflammationem habentes aegrotis magnam sanguinis copiam detrahant, quo vires debilitatas maxime exhauriunt, et fere semper exitum infaustum provocant. Alii medici statim ad extremum progressi sunt, in usu scilicet medicamentorum stimulantium omnem salutem quaerentes, primo initio moschum, serpentariam, camphoram, ammonium et cetera dabant. Denique nullus medicamentorum ordo invenitur, qui non adhibitus sit in typho, unde concludi potest, sententiam typhum certis remediis sanandum falsam esse: typhus enim certum commutationum cyclum percurrit, in quibus medicus saepissime tantum res noxias prohibere, neque ipse agere debet. Therapia ergo in variis stadiis etiam varia.

Saepissime in stadio primo gastricae quasi eminent affectiones, in quibus emeticum semper cum secundo adhibitum est eventu, praesertim quum lingua muco sit tecta, profluvia vero alvi et signa inflammatoria omnino deficiant: eligatur hic radix ipecacuanhae, quae tamen semper sine tartaro stibiato detur, quia hocce medicamentum facile diarrhoeam efficere potest. At ubi exstant cerebri ejusque membranarum symptomata inflammatoria, caveas, ne utaris emetico, pariterque vites omnino antiphlogisticam curationem. Illis vero in casibus, qui gravibus excellunt topicis doloribus, nunquam locales sanguinis detractiones sunt omittendae, quam ob causam

capite valde doloribus fatigato hirudines ponas ad processum mastoideum. In stadio secundo, viribus velociter labentibus, diarrhoea imprimis debet minui, ut aegrotus a nimio defendatur virium collapsu, quapropter diversissima medicamenta medici pronuntiant esse advocanda: Schoenlein contendit, alumen cum nuce vomica seu gummi arabico in clysmate plurimum profuisse; tum Schoenlein aquae potissimum commendat oxymuriaticae magnam dosin ac lotiones et superiorum et inferiorum extremitatum aqua et aceto immo superfusiones frigidas, si aegroti stupor invalescat, nulloque modo status comatosus depelli possit, quod quidem quasi est ultimum refugium. Si vero virium consumptio celerrime occurrit, Schoenlein et alii medici optimo cum eventu chinam impendebant et quidem hocce ratione.

Rp. Inf. Chinae ℥IV
(ex ℥β ppt.)
Ol. Amygdalar. ℥β
Mucil. Gumm. mim. ʒjj
Sacchari albi ℥β.

Tempore, quo crises exspectandae sunt per cutem et per urinam, hae sunt adjuvandae.

Omni modo decubitus est praecavendus, qui semel exortus maximam et strenuissimam curationem postulat, potissimum, si jam in sphacelum transiit. Quod si ita se habet, imponatur empl. diachyl. c. gummi, quo si crusta non detrudatur, unguent. matris; plurimum autem

valet Aq. calcar. oxymuriatica quum ad decubitum incipientem levandum, tum ad perfectum et jam sphacelosum deligandum.

Inflammationes si posteriore morbi tempore accedunt, ut bronchitis, sanguinis detractionem non nisi cautissima manu factam admittunt, et fere non nisi topicam. Quodsi vero summa adynamia, sicut plerumque fieri solet, adest, ab ista abstinere medicus et derivantibus contentus esse debet.

Perforatione tubi cibarii exorta, omnia remedia vel parum prosunt, vel nihil, nonnulli commendant magnas opii doses, quippe quod dolores inflammationis sedet, motus intestinorum prohibeat, et cursum faecum retardet vel prohibeat.

In convalescentiae stadio quam accuratissimam vitae rationem imperemus oportet, ne morbus fiat recidivus, quoniam semper morbo superato periculosa tractus intestinalis debilitas per longius tempus remanet.

VITA.

Ego Arminius Bodenstein, confessioni evangelicae addictus, Colbatii, vico haud procul a Stargardia sito, die XXI. m. Maji a. MDCCCXXIV, patre optimo, regii tribunalis assessore, matre dilectissima, e gente Schmidt, quorum utrumque deus diu mihi conservet, natus sum.

Usque ad aetatis annum duodecimum a praeceptore privato institutus, gymnasium Stargardiense, quod florebat directore Falbe, adii et per sex annos frequentavi. Anno MDCCCXLI, superato abiturientium examine, inter cives instituti regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus sum et per quadriennium hisce interfui scholis:

Cel. Beneke de logice et psychologia; Cel. Preuss

de historia; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, de Celsi libris, de pathologia generali, de medicinae historia; Ill. Link de botanice et de historia naturali; Cel. Turte de physice et de pharmacia; Ill. Mitscherlich de chemia et organica et anorganica; Ill. Schlemm de osteologia, de syndesmologia et splanchnologia; Ill. Mueller de anatomia universa et organorum sensuum et pathologica, de physiologia; Cel. Eck de pathologia et therapia generali, de semiotice; Ill. Mitscherlich de materia medica; Ill. Horn de morbis syphiliticis et psychicis; Exp. Reichert de histologia; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi et de medicina forensi; Beat. Kluge de ossibus luxatis et fractis, de chirurgia generali, de arte obstetricia, de arte fascias imponendi; Ill. Juengken de chirurgia speciali; Cel. Froriep de akiurgia.

Practicis exercitationibus me instituerunt: Ill. Mueller et Ill. Schlemm arte cadavera rite secandi; Cel. Froriep operationibus in corpore mortuo faciendis; Beat. Kluge exercitationibus obstetriciis; Ill. Casper exercitationibus medicis forensibus et explorationibus in vivis et corporibus mortuis; Ill. Schoenlein et Cel. Wolff et Cel. Truestedt clinicis medicis; Ill. Juengken clinicis chirurgicis et ophthalmiatricis.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Dies indices in typho abdominali existunt.
2. Syphilis saeculi nostri non curatione medica mitior facta.
3. Non omnes morbi sanari debent.
4. Cerevisiam venenum esse nego.